



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miraculorum Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. XVIII. Pidica, & proba mulier iniquè condemnata, capitis
periculo liberatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

hasce Virgines puellas tuae permitto fidei, & tuā in clientelam dico, ut tu quae opus sunt, clementia tua illis suppedites; quando mihi inopi deest, unde illas alam. His dictis filiarum dexteram Virginis imaginis dexterae; ut sanctum foedus probaretur, adiunxit. Domum uerò ipsae redeuntes, iuuenem ante ostium reperiunt, cuius splendor, quàm solis radij, clarior erat, à quo ipsarum paupertas quibusdam nummis subleuata est. Quod ubi ab inuidis, & maledicis rescitum est, eas meretrices esse iactabant, quae impudicè quaestum caperent. Mater autem filias hortata est, ut Dei matrem adirent; eamq. rogarent, uti falsò impressam illam notam deleret. Eius dicto iam ipsae obtemperauerant; cùm festo quodam die Angelus è coelo descendens, eas in uia stanteis in maxima populi frequentia duab. coronis, florib. confertis, quae suauissimum odorem expirabant, donauit, haec uerba dulci sono locutus: Haec uobis munera Virgo Dei mater mittit; ut certissima apud omneis uirginitatis uestrae documenta, & manifesta signa sint. Obstupescens populi, & illius prouinciae princeps, duo Virginum coenobia ad perpetuam coeli reginae memoriam exaedificarunt, quib. ipsas sorores postea praefecere.

MIRAC. VIRG. XVIII.

Pudica, & proba mulier iniquè condemnata, capitis periculo liberatur.

Pudicam uxorem, & Virginis studiosam ad alter maritus, & libidinosus maximo odio prosequatur,

batur, ut id genus hominum facere consuevit. Haec profusi, & intemperantis mariti culpa eò egestatis perducta erat; ut nutricijs sibi uictum quaerere cogeretur. Cuiusdam. n. militis filium nutribat. Ut miseram scelestus maritus perderet, acerbissimo odio percitus puerum noctu iugulauit, & abiit. Summo mane ipsa alumnum mortuū reperiens, exclamans clamore maximo totā familiam à somno excitauit. ubi ab infantis parentib. id rescitum est, in carcerem compacta, & breui tempore morti damnata est. Infelix se patrono destitutam uidens, erectis oculis coelum intuens, dixit: O Virgo, tibi innocentia mea aperta est, tu me tuere, & conserua. Post illa uerba statim decori aspectus mulier, puerum in sinu gestās, aduenit; quae iudices monuit, ut iudicium differrent; puerum illum iudicem eo die futurum dicens. Itaq. ille coram se causam dici iussit. in tam tenera aetate admirabilem facundiam, ac prudentiam omnes ualde admirabantur. Is iugulatum infantem intuens, en, inquit, o iudices mortaliū, posthac diligentius uobis res iudicandae sunt. mortuū igitur adiurgere, suumq. in conspectum prodire iussit, ut palam profiteretur, à quo necatus fuisset. Repentē ille à morte exsuscitatus, homicidam digito monstrabat. Quare innocenti muliere absoluta, crudeli marito maximis cruciatibus uita adempta est.

